

AUCTARIUM.

CONCIO I.

DEO GLORIAM, PROXIMO CHARITATEM, NOBIS
CONFUSIONEM DEBERI.

I. Deo debemus gloriam. — II. Proximo charitatem.
— III. Nobis confusionem.

THEMA.

*Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt
Dei Deo. Matth. XXII.*

Sæpius inculcatur nobis in hodierna et præcedente dominica odiosum illud verbum: *Redde, redde, redde*. Audivimus ante octiduum regem a servo exigentem rationes et debitum sibi reddi jubentem: similiter et servum oclamantem conseruo: *Redde quod debes*: rursus ab irato rege servum tormentis subjectum, quoadusque redderet universum debitum: hodie rursus audimus Christum dicentem: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo*. Itane verbum hoc tam exosum ad omnes spectat? Ita est, auditores, ad nos omnes spectat: omnes enim debitores sumus, conclusi in hoc mundo, veluti in turri quadam, quæ obæeratorum dicitur, unde non prius dimittimur, quam dissoluta fuerint omnia nostra debita. Quænam vero illa debita, dicetis? Audite magnum debitorem, latronem in cruce versum, ea vobis exponentem, imo et reddentem, Luc. XXIII. *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es?* En charitatem reddit proximo. *Et nos quidem juste; nam digna factis recipimus*, en confusionem et accusationem reddit sibi. *Hic vero nihil mali gessit*, en gloriam reddit Deo. Cum enim tribus obligemur, Deo, proximo, nobis; ipsis latro hic justissimus et illuminatissimus unicuique reddit suum, Deo gloriam, proximo dilectionem, sibi confusionem. Quid mirum, si persolutis hisce debitis, e carcere hujus mundi dimissus, et in paradysum admissus est? Nos ergo debita hæc nostra nunc inspiciamus.

I. Deo gloriam demus. Ita mandat ipse Deus, Isa. XLII. dicens: *Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo*: et Jeremias, cap. XXXI. *Date Domino Deo vestro gloriam, antequam obtenebrescat*: David etiam, Psal. CXIII. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da*

gloriam: denique, apostolus, I. Tim. I. *Soli Deo honor et gloria*, inquit. Et jure, quia ab ipso et per ipsum habemus omnia. Sed quia ratione gloria ei danda? Primo, omnia bona, quæ habemus et accipimus et unquam accepturi sumus, ipsi adscribendo. Hoc unum enim tributum, hunc censum exigit a nobis, ut ejus beneficia nobis impertita ipsi accepta feramus, et (quod largitori homini facere solemus) dantis manum osculemur, non nostram, ut docet S. Bernardus, serm. III. in Cant. *Accipiendo donum, osculare manum, hoc est, non tibi sed nomini ejus da gloriam*. Id quod adeo caute observavit Job, ut dira sibi imprecetur, si in hoc deliquisset: *Si osculatus sum manum meam ore meo?* cap. XXXI. *Furtum committet famulus, si quæ ad herum spectant, in suis retineat manibus; nihilominus in Deum peccabit, qui bona ab eo accepta sibi adscribat*: uti idem S. Bernardus, ser. XIII. in Cant. scribit: *Quidquid, ait, favoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris*, et serm. LXXXIII. *Quid nequius servo usurpante gloriam domini sui? Nonno fur est et latro?* Hoc ipsum S. Franciscus mire suis inculcabat, atque inter alia illud documentum dabat: « Quando servus Dei orans visitabitur divinitus, dicere debet: Istam consolationem mihi peccatori et indigno de celo misisti Domine, et ego illam tuæ committo custodia, quia thesauri tui me sentio esse latronem, » dum scilicet ejus gloriam tibi suffuror et mihi adscribo: uti refert S. Bonaventura in ejus vita, cap. X. Deprehensus hujus furri reus Herodes Agrippa, quando in argentea miri artificii veste ad populum perorans, et Deum se consalutari passus, gloriam Deo non dedit, sed sibi tacite arrogavit, adeoque repente ab angelo (malo, ut videtur Joan. Lorino, in c. XII. Act.) velut a carnifice percussus est. Josephus, lib. XIX. antiq. cap. VII. addit bubonem, dum id ageret Herodes, supra caput ejus in fune extenso (conopæi forsitan) sedisse, calamitatis nuntium: procul dubio is fuit diabolus, qui eum percussit in nocturno avium et olei (quod in templis ardere solet) prædone; ostendens Herodem, divinæ gloriæ furem merito puniri a consimili fure. E contra diligenter cavet sibi a furto hoc propheta Elisæus, qui rogatus a Naaman, ut sanaret ejus lepram, misit nuntium dicens: *Vade et lavare*

septies in Jordane. « Hoc autem sibi mandavit per nuntium, ait Lyranus eo loco (IV. Reg. V.) ut Dei potentie magis attribueretur miraculum, eo quod propheta non locutus fuit cum eo, nec eum tetigit, sicut credebat Naaman, credens quod in ipso propheta esset aliqua virtus curandi ipsum. » Sic nimirum justi omnem a se gloriam repellunt, et in Deum transferunt.

Secundo, Dei magnalia et beneficia ad ipsius gloriam manifestando. Nam, ut ait Stephanus pontifex apud Rheginonem, in chron. anno Domini 752. « Sicut nemo se debet jactare de suis meritis; sic non debent opera Dei, quæ in illo per suos sanctos fiunt, sine meritis sileri; sed prædicari, sicut angelus admonet Tobiam, » iis scilicet verbis: *Sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare honorificum est*, Tob. XII. Quo verbo hoc docuit Raphael; id enim egit factum, et agunt angeli cæteri; qui ad hoc potissimum, ut laudes Dei celebrent, creati sunt, ut patet ex Apocalypsi Joannis, ubi crebro inducuntur laudes Deo canentes et clamantes: *Sedenti in throno et Agno, benedictio, et gloria*, Apoc. V. Proximi post hos facti sunt homines, ut et ipsi una cum angelis magnalia Dei prædicent, ut docet Ecclesiasticus, cap. XVII. *Posuit oculum suum super corda illorum* (hominum) ostendere illis magnalia operum suorum, ut nomen sanctificationis collaudent, q. d. ut una cum angelis laudes Deo concinant; ideo Deus sua scientia, quasi oculo fulgidissimo illustravit corda hominum, rerum tam supernaturalium quam naturalium cognitione plurima; quinetiam creaturas alias, ratione carentes ad hoc creavit, ut suo modo et ipse gloriam Dei manifestent, juxta id Psal. XVIII. *Cæli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum*, ut ita ex triplici creaturarum ordine fiat integra harmonia seu musica, quæ in trium consonantia vocum, basi seu infima, tertia seu media, quinta seu summa consistit. Infimam canunt creature irrationales, mediam homines, supremam angeli. Scimus, quidem Christum communiter præcepisse iis, quos sanaverat ut nemini id dicerent, ad exemplum humilitatis: mens tamen ejus erat, ut beneficia accepta divulgarent, tum ad hominum salutem, tum ad Dei gloriam. Unde dæmoniaco illi extra Judæam constituto præcepit: *Redi in domum tuam, et narra quanta tibi fecit Deus*, Luc. VIII. Quod et ipse fecit non tantum in domo aut civitate sua, sed in omni regione, ut habet Marcus, cap. V. Idque Ecclesia etiam tacere consuevit jam ab antiquo, quando notarios constituit, ut acta martyrum conscriberent, ut ex Concilio Carthag. IV. patet: mi-

racula diligenter adnotavit vulgavitque, et beneficia accepta recitare consuevit in populo, ut testatur S. Augustinus, l. XXVII. de civit. cap. VIII. Denique, a Christo taxantur novem leprosi propter hunc neglectum, Luc. XVIII. *Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena*.

Tertio, omnia opera nostra ad Dei gloriam faciendam. Hoc non uno inculcat apostolus, uti ad Coloss. III. *Omne quodecumque facitis, in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi facite*: et I. Cor. X. *Sive manducatis sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*: ubi Theodoretus ita: *Omnia comprehendit, et sedere, et ambulare, et disserere, et misereri, et docere: unus sit ei scopus, Dei gloria*. Pulchre nos hoc ipsum docuit Magdalena, Matth. XXVI. quando in domo Simonis non aliunde quam a capite unctionem incipiens, effudit unguentum in caput Christi, velut in membrum corporis primum: (caput enim coronamus, non manus, non pedes, non alia membra; quia a capite omnis vita hominis,) Christus autem caput nostrum est, cui omnis honor debetur, et a quo omnia. Quid unguentum pretiosum, nisi opus bonum? Igitur hoc in caput Christi, hoc est, ad gloriam ejus inchoandam et peragendam: *Quia nisi a capite, inquit Pashasius ad eum Matthæi locum, unguentum hoc defluerit, nihil in corpore prodesse potest. Si autem omnia quæcumque gerimus ad laudem Dei proficiunt, et ad Christi gloriam quodlibet opus refertur, tunc unguento pretioso unguimus caput Christi*. Fuit hoc opus tam præclarum, ut Christus edixerit id in toto mundo prædicandum. Nec immerito, siquidem: *Mulier, inquit S. Hilarius eo can. XXIX. omnem curam corporis sui, et totum pretiosæ mentis affectum in honorem Dei laudemque transfudit*.

II. Proximo charitatem debemus: uti imprimis testatur apostolus ad Rom. XIII. ubi cum dixisset: *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem*: immediate subdit: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis*. Sed cur vult apostolus alia debita reddi, dilectionem vero proximo deberi. Itane debitores tantum non persolutores hujus debiti esse debemus? Nequaquam; sed vult dicere: A cæteris quidem debitis quæ sunt justitiæ, nos liberari, quando reddimus quod debemus, æs alienum, agrum, vestem: at vero a debito charitatis, tamen si eam proximo persolvamus et impendamus, minime liberari, sed manere adhuc obnoxios ad hoc ipsum debitum denuo reddendum. « Sempet debeo charitatem, ait S. Au-

gustinus, epist. LXII. quæ sola etiam reddita semper detinet debitorem. Redditur enim cum impenditur, debetur autem etiamsi reddita fuerit, quia nullum est tempus, quando impendenda jam non sit; nec cum redditur amittitur, sed potius reddendo multiplicatur. Habendo enim redditur, non carendo. Et non cum reddi non possit nisi habetur, nec haberi potest nisi reddatur, imo etiam cum redditur ab homine, crescit in homine, et tanto major acquiritur, quanto pluribus redditur. » Sic Augustinus. Rationem explicat ulterius eo loco Theodoretus his verbis: « Non ut dilectionis debitum non exsolvamus (oportet enim id ante omnia exsolvere) sed ut in ipsa solutione id augeamus. Reddito enim debita multiplicat, ardentior enim dilectionem efficit. »

Debet ergo hæc dilectio se extendere, primo, ad omne tempus vitæ nostræ, ut semper obligati simus ad diligendum proximum; quod egregie imprimis præstitit Samuel populo suo rebeli, qui, ipso rejecto, regem sibi postularat. Cum enim ad redarguendum hoc delictum Deus terribilem immisisset procellam, percussus populus recurrit ad Samuel, et dixit: *Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum ut non moriamur, etc.* Respondit Samuel: *Absit a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis, et docebo viam bonam et rectam.* I. Reg. I. Agnoscit igitur Samuel adhuc se obligatum ad impendendam populo, licet refractario, charitatem, et quidem sub peccato, quia adhuc erat pater quasi spiritualis sui populi, ipseque populus tunc in magno periculo versabatur. David etiam non deposuit affectum suum paternum erga rebellem filium, quando ab ipso armata manu impetitus mandavit suis ducibus in ipsum emissis: *Servate mihi puerum Absalon*, II. Reg. XVIII. *Puerum* appellat, ut scelus ejus elevet, quasi errore lapsi puerili; quin et pro occiso mori exoptavit. Itaque ab egentibus et miseris, in gravi præsertim necessitate constitutis, nunquam subtrahenda manus est, quia nunquam cessat obligatio charitatis.

Secundo, extendere se debet ad omne genus hominum, uti monet apostolus ad Gal. VI. *Ergo dum tempus habemus, ait, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei*, h. e. Christianos. Itaque non amicis dumtaxat gratis ac notis, civibus, cognatis, sed inimicis etiam, et ingratibus et ignotis et peregrinis charitas impertienda est: neque solum Christianis, sed etiam infidelibus ex verbo apostoli: et merito quia hoc ipso, quo quis homo est, dilectione prosequendus est. Si enim bruta animantia

suam amant speciem, et gaudent societate, ac multoties se juvant invicem; homines id non facient? Quare S. Ambrosius, l. III. offic. c. VII. eos ex feris redarguens: *Feræ, inquit, non excludunt feras, et homo excludit hominem: illæ etiam conformem sui generis adjuvant, homo impugnat qui nihil a se alienum debet credere, quidquid humani est.* Quæ major esse distantia potest, quam quæ erat inter latronem et Christum? Ille tamen fidenter appellare Christum ausus pro regni consortio, ait: *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Unde tibi, latro, tanta audacia, ut rex celorum tui meminisse, et locum tibi dare in regno suo debeat? Quo titulo aut jure dignitatem tam excelsam petis? Tantane sunt bene merita et heroica facta tua? Nequaquam, respondebit. Quid ergo? Esne ipsi sanguine junctus? Minime gentium, dicit. An forsitan tuus amicus et familiaris erat? Nec hoc, respondebit. Quid igitur est, quod te tam audacem reddit? Nihil aliud, respondebit, nisi quia video ipsum hominem esse, mei similem, et consortem crucis. Hanc causam adfert Cyrillus Jerosolym. catech. XIII. ex latronis persona, inquit: « Non dico ut operum meorum memineris, hoc enim metuo: sed omnino homo afficitur ad comitem suum, simul tecum eo ad mortem, memineris comitis tui. » Similiter ven. Drogo, de sacram. dom. pass. « Imaginis tuæ Deus miserere, sed in quo te agnoscam misereri? In eo, quod imaginem meam in te video similem, et eandem mecum miseriam pati. Quid ergo restat, nisi ut sperem de tanta misericordia? » Neque Christus tanta petentem repulit, nec dixit: Quid Filio Dei cum latroni cum paradiso? Sed precantem mox exaudivit.

Tertio, extendere ad omne genus obsequii, quo proximus indigerit: ad opera misericordiæ corporalia et spiritualia aliaque charitatis officia, in quantum quisque potest. Latro in cruce conversus nihil minus erat quam prædicator; hic tamen ubi vidit peccare socium in personam Christi, prædicatoris officio assumpto, illum redarguit, et prius quidem, quam pro salute sua oret. Neque ab eo abstulit propterea, quod ipse veritatis magister proxime adesset, et taceret ad opprobrium sibi illatum; unde S. Chrysostomus, hom. de cruce et latr. *Et magister, inquit, pendebat in cruce, et sanis persuasionibus invitabat ad vitam.* Simili modo Samaritanus ille, Luc. X. medicus non fuit, non tamen intermisit medici officium, infundens misero oleum et vinum.

III. Nobis confusionem debemus. Id fatetur in primis Baruch, c. I. ita precationem suam in-

choans: *Domino Deo nostro justitia, nobis autem confusio faciei nostræ, sicut est hæc dies*: deinde, Daniel similiter orans: *Tibi, Domine, justitia, nobis autem confusio faciei, sicut est hodie, hoc est, sicut in captivitate ob peccata nostra constituti experimur.* Confusio ergo primo Judæis debetur, quod peccatis suis commoverunt e terra sua abduci in captivitatem Babylonicam: compedes eorum testimonium ferebant, quod dereliquissent et offendissent graviter Deum suum, sicuti captivos accusant et confundunt in carceribus. Reflectat se unusquisque ad priorem vitam suam et delicta juventutis suæ, et videat annon et ipse aliquando dæmonis compedibus irretitus fuerit in anima sua: *Quem fructum habuistis tunc, in quo nunc erubescitis?* ait apostolus ad Romanos, VI. q. d. ad quid profuit vobis sub gentiliū infidelitate impudicitia, ebriositas, cupiditas, iracundia, etc. nisi ut jam pudeat talium scelerum et turpitudinum? Cogitet hoc ipsum quilibet de se, et confundatur in seipso. Mediolanenses, cum aliquando Fridericum imperatorem graviter offendissent, ipseque postea rebellem civitatem vi armata occupasset, veniam precaturi, ipsum in curia accedunt: in primis clerus omnis, quicumque fuerant ecclésiastici ordinis ministri eum archiepiscopo suo, prælati crucibus, nudis pedibus, humili habitu: deinde, consules et majores civitatis, item abjecta veste, pedibus nudis, exertos super cervicæ gladios ferentes, Radevicius, l. III. c. XLII. Tibi, o peccator, similis, imo major debetur confusio, quia Deum offendisti.

Secundo, quod in captivitate illa tamdiu detinerentur usque ad septuagesimum scilicet annum; adeoque consenescerent, quod indicant, cum aiunt: *Sicut est hæc dies, et sicut est hodie.* Quamquam hoc non tam illis probrosum erat qui retinebantur, quam iis, qui postea, data a Cyro redeundi in patriam potestate, redire noluerunt, sed in Babylone remanserunt, partim ob coemptos fundos, partim ob connubia cum gentilibus inita, cives Babyloni facti; quæ non exigua eorum ignominia fuit. At longe ignominiosius est remanere in captivitate dæmonis, in eaque consenescere, cum facile exire queas. « Dixit quidam jocans, inquit Plutarchus, tractatu de vitioso pudore, omnes Asiæ incolæ uni servire homini, ideo quod unicam syllabam non pronuntiare nequirent. At qui improbe urgentur ad peccandum pudoris metu, ii, etiamsi nihil dicant, saltem sublato supercilio, oculisque in terram defixis multa possunt adversa ipsis et absurda evitare ministeria. » Sic ille. Pudor certe est ultro et mera libidine se captivum dæmoni

facere, multo vero magis captivum persistere, eo quod unicam syllabam non, hoc est, non volo esse mancipium, nequeat peccator, aut potius nolit pronuntiare, amore alicujus momentanei et imaginarii boni. Et quæ tandem est stultitia, quæque ignominia, postquam pœnitentiæ beneficio captivitatem illam evasimus, paulo post eandem tam facile reverti, et arctiori carceri sese includere?

Tertio, quod ipsorum purificationes, cæremoniæ, et sacrificia, quibus se sanctificare conabantur, insania et vacua a fide et charitate, nec non vana gloria, hypoerisi et similibus sordibus aspera et inquinata essent; uti fatentur Isaïæ LXIV. *Facti sumus immundi omnes; quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Non equidem est par ratio de operibus justorum, quæ in fide et charitate fiunt, uti paralogizant hæretici: debetur tamen ex alio capite nobis confusio; primo, quod opera nostra bona variis defectibus sæpe inquinemus, uti vana gloria, indiscretionem, tepiditate et languore, murmuratione, etc. Quæ nihilo minor confusio est, quam celeberrimi illius pictoris Zeuxis; qui cum sibi applauderet, quod uvas a puero gestatas tam exacte pinxisset, ut aves advolarent ad carpendum illas, postea se reflectens, sibi iratus et confusus est quod gestantem uvas puerum male pinxisset; si enim ad vivum elaborasset, aves aspectu pueri absteritæ fuissent, Plin. l. XXXIV. c. XIX. Sic multoties pingimus opus quidem in se bonum; sed discretionem, fervorem vel humilitatem, quæ vanæ gloriæ volucres arceat, vel non appingimus, vel male exprimimus. Plus igitur vituperii quam laudis meremur. Deinde, si una aut altera virtute instructi sumus, aliis pluribus caremus: vel si una fervemus, in aliis tepescimus, velut imperitus ille pictor, qui præter cupressum nil fere pingere noverat; unde a naufrago rogatus, ut naufragium ejus pingeret, quæsivit num de cupresso adjici vellet aliquid. Habet quis scientiam unam, illam ubique jaetat, loquitur, extollit; cum in aliis nihil sciat. Habet virtutem unam, v. g. temperantiam aut castitatem, jam se perfectum æstimat, licet plurimos alios ævos habeat. Denique, quam parum est quod agimus aut patimur pro tanta, quam in cælo expectamus gloria? Non pudeat operarios pro maxima mercede segniter operari, et quidem maximo regi? Quoties nos ipsi objurgamus et confundimus opifices et artifices, quando pro neglecto opere, pro rudi pictura, pro male sarta veste magnam exigunt mercedem? Non pudeat te, dicimus, pro re tantilla, tam neglectim facta, tantam petere

pecuniam? Cur ergo non eadem mensura metimur nosmetipsos? Quomodo non erubescimus, qui pro immensa et immarcescibili corona tam parum sustinemus? Quam enim tepidi in orationibus, quam laxi in jejuniis, quam parci in dandis eleemosynis, quam duri in confessione, quam frigidi in s. communione sumus? Confundamur igitur, et præ confusione abscondamus nos una cum Publicano; non audeamus oculos elevare in cœlum.

Atque hæc sunt debita, ad quæ obligamur; quæ si cum latrone illo pœnitente persolverimus, spes est nos cum eodem ex ergastulo hujus mundi eripiendos, et in paradysum ad libertatem filiorum Dei fore admittendos.

CONCIO II.

QUARE DEUS COR, SEU AMOREM SUI, EXIGAT A NOBIS.

I. Quia id exigit honor Dei debitus. — II. Quia prior nos amavit. — III. Quia nostra indigentia id requirit. — IV. Quia id requirit languor nostri exilii. — V. Quia amor Dei necessarius est pellendo amori mundi.

THEMA.

Reddite ergo quæ sunt Dei, Deo. Matth. XXII.

Mysterio non caret, quod in veteri lege Deus præcepit, cap. VII. Levitici, ut ex hostiis pacificis solum pectusculum daretur Aaroni, summo sacerdoti. Ita enim ibi legitur: *Pectusculum autem erit Aaron.* Neque difficilis apparet mysterii explanatio: amorem enim qui sub pectore et in corde sedem suam habet, exegisse Deus videtur, designatus per Aaronem, summum sacerdotem. Hoc enim ita explicat Salomon, quando in persona Dei loquens, Prov. XXIII. ait: *Præbe, fili, cor tuum mihi.* Non utique carneum, sed mysticum, quod est amor in Deum elevandus; quo modo etiam pectusculum ab offerente elevandum erat in altum, ideo *pectusculum elevationis* dictum. Ita sapientem intellexit S. Bernardus, vir a Deo edoctus magis quam ab hominibus, qui in epistola ad quemdam postulantem, quid a nobis requirat Deus, respondit: « Cor nostrum nihil dignius producere potest, quam ut ei se restituat, a quo factum est; et hoc a nobis Dominus expetit dicens: *Fili, da mihi cor tuum.* Tunc siquidem cor hominum Deo datur, quando omnis cogitatio terminatur in eam, gyrat et circumflectitur super eum, et nihil vult penitus possidere præter eum, sicque, colligato sibi animo, eum diligit, ut sine ipso

amarus sit omnis amor. » Jam vero dicet aliquis: Quæ causa est cur Deus a nobis diligi velit? Quid enim hoc ei prodest? Vel ad quid nos juvat? Causas igitur inquiremus.

I. Quia id exigit honor ejus, et gloria ipsi debita. Si enim agnoscimus Deum velut summum bonum, adeoque tanti facimus, ut par est, impossibile est quin amemus et quidem super omnia. Quod si non diligamus eum, signum est, quod nec æstimemus, adeoque etiam spernamus. Hoc vero summa Dei esset injuria. A natura nobis insitum est, appetere id quod bonum est, adeoque et amare, eoque magis, quo id melius est. Quare sicut populi aliqui, ut Albani et Babytales, qui aurum nec æstimant nec amant, sed in terram defodiunt et abjiciunt, hoc ipso spernere censentur: ita qui non amat Deum, nullo in honore et pretio habet; ac proinde spernit eum. Quo majore judicio poterant Judæi mundo demonstrare, quod pro nihilo haberent Christum Dominum, quam cum oblatam sibi a Pilato ejus redemptionem, acceptare noluerunt, sed eo neglecto, petierunt potius Barabbam sibi condonari? Nonne hoc erat spernere Christum, gratis sibi oblatum rejicere et repudiare? Insuper vilissimum homuncionem ipsi præferre? Videat ergo quid agat, qui Deum non amat: pro nihilo enim habet. Videat qui præ ipso creaturam aliquam amat: vilissimum enim vermiculum ipsi præponit. Quantum sensisse debuit Christus, se minoris æstimari, quam homicidam unum? Et quanta Deo injuria est, ipsum non æstimari a suis creaturis, et infimo loco haberi? Hinc jam intelligimus, quam recte dixerit per Isaiam, c. I. Deus: *Filios enutrivit et exaltavit, ipsi autem spreverunt me.* Hoc ipso enim quo sic amantem non redamarunt, certe spreverunt: et dum, eo neglecto, idola coluerunt, ipsum viliori pretio æstimarunt quam sit lignum aut lapis. Hinc consequenter etiam intelligimus, quanto jure dixerit apostolus I. Cor. ult. *Si quis non amat Dominum Jesum Christum, anathema sit.* Qui enim non amat Dei Filium, hoc ipso spernit: ergo sit anathema, velut numinis contemptor.

II. Quia id requirit amor, quo prior nos amavit amatque adhuc continuo, dum tot beneficiis cumulat et benedictionibus prævenit. Jam vero tanto ejus amori satisfacere melius non possumus, nisi amore reciproco. Primo, quia amoris hæc natura est, ut non velit compensari nisi amore. Omnia alia debita possunt dissolvi pretio alterius generis; ut si quis mihi vestem faciat, non requirit ut vicissim vestem ipsi conficiam; si mihi domum fabricet, non petit ut et

ipsi domum aliquam struam; si pro me iter faciat, non est opus ut pro ipso aliud iter faciam: sed sufficit ei, si pecuniam, aut quid aliud pecunia æstimabile dem: solus amor petit reciprocam amorem, nulla alia re contentus. Quando igitur Deus adeo nos amavit, ut ad imaginem suam crearet, et mundum propter nos: Filium quoque suum dederit et cum illo omnia; quid huic amori aliud nisi amorem rependamus? Secundo, quia præter amorem nihil habemus, quod æque nostrum sit. Cæteris omnibus quæ habemus, spoliari etiam inviti possumus, uti pecunia, fama, vita, corpore: solo amore, solum libere possumus exhibere, spoliare nos nemo potest; unde ex hoc capite solus vere noster dici potest. Eo igitur unico veluti quodam pretio compensare Dei amorem aliquatenus valemus. Unde S. Bernardus, serm. LXXXIII. in Cant. ait: « Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere auctori, vel de simili mutuam rependere vicem, v. g. si mihi irascatur Deus, num illi simfliter reirascar? Non utique, sed pavebo, sed contremisecam, sed veniam deprecabor, etc. »

III. Quia id requirit nostra indigentia, qui sine Dei amore nihil sumus; per amorem Dei beati evadimus. Ita Sanctus Bernardus loco citato: *Deus, inquit, non ad aliud amat, nisi ut ametur: sciens ipso amore beatos, qui se amaverint.* Consonat Divus Hilarius, in Psalm. II. « Amari se a nobis exigit, ait, non utique amoris in se nostri fructum aliquem sui causa ipse percipiens, sed amore ipso potius, qui eum amabimus, profuturo. Nam amari se sibi nos obsequi idcirco a nobis expetit, ut digni beatitudinis suæ ac bonitatis munere per meritum amoris sui et obsequii judicemur. Bonitatis autem usus, ut splendor solis, ut lumen ignis, ut odor succi, non præbenti proficit, sed utenti. » Sic ille. Accedit Divus Augustinus, sermone XXXIX. de tempore: *Sectamini charitatem, inquit, sine qua dives pauper est, et cum qua pauper dives est.* Idem, tractatu V. in ep. Joan. quærit cur negotiator ille evangelicus, qui plures inquirebat margaritas, inventa una pretiosa contentus, emerit eam, Matthæi XIII. et respondit: *Hæc est charitas, sine qua nihil tibi prodest quodcumque habueris; quam si solam habeas, sufficit tibi.* Verum unde sufficit? Ad hoc respondit S. Clemens papa, in epist. ad Jacobum, quia: *Omne bonum ipsa per se; si in vobis fuerit charitas, vos facere docebit. Velut frugi apicula per omnes virtutum flores circumvolat, earumque succum melleum in amantis animam comportat.* Origenes in cit. Matth. XIII. locum scri-

bit, margaritas conchis inclusas ducem unum instar apum habere, cæteris grandiore, qui totum agmen ducit: *Eo capto, inquit, ferunt, nullo negotio capi huic subditum agmen; quippe nullatum subsistente ex toto grege, sed unaquaque, ceu loro vincata, sequente gregis ducem.* Ita prorsus charitas dux et regina omnium virtutum est; qua habita, nullo negotio sequuntur et comparantur omnes virtutes; ea desiderata, nulla vere possidetur aut acquiritur; cum ea ditissimi, sine ea pauperissimi sumus. Unde apostolus, I. Cor. XIII. ait: *Si linguas hominum loquar et angelorum, etc. charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* E contra qui eam habet, omnia habet, quia ut ibidem ait: *Charitas patiens est, benigna est, etc.* Optime et succincte S. August. serm. XXXIX. cit. « Charitas in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalitate latissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima, in Abel per sacrificium grata, in Noe per diluvium segura, in Abrahæ peregrinationibus fidelissima, in Moyse inter injurias lenissima, in David tribulationibus mansuetissima: in tribus pueris blandos ignes innocenter expectat, in Macchabæis fortes ignes fortiter suffert: casta in Susanna erga virum, in Anna post virum, in Maria præter virum: libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum, humana in Christianis ad confitendum, divina in Christo ad ignoscendum, » ita S. Augustinus.

IV. Quia id desiderat exilii hujus, in quo degimus, languor et amaritudo. Quid enim mundus nisi vallis lacrymarum et miseriarum pelagus? Quare ut id alacrius et suavius trajiciamus, amore opus habemus. Quidquid aggrediamur, tametsi laboris minimi, si absque amore aggredimur, cum fastidio agimus, neglecte et perfunctorie: si vero amor nos accendit, etiamsi asperum et laboriosum sit, dulce nobis et jucundum fit. Unde apostolus, I. Cor. XIII. § V. ait: *Charitas non est fastidiosa,* ut legit S. Chrysost. Patet in Jacob patriarcha, cui septem anni servitutis videbantur pauci dies præ amore Rachelis sibi desponsæ, Gen. XXIX. Qua de re S. Chrysost. hom. XXXIII. in I. Cor. ita scribit: « Jacob nonne pro mercede cognato servit annis bis septem? Annon præter servitutem redire etiam dignus fuit, qui ita sibi pateretur imponi? Numquid igitur commotus est risu, num turpe putavit, quod homo liber et educatus ingenue servilia negotia obiret, atque id quidem apud cognatos? Vel maxime enim morderes olet, si quis apud notos indigna patitur. Minime vero hunc